

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo XXXIII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

ipse illum nondat. sed quia ut uidetis & pecoribus dat, non uitam longam; quid est enim longum quod aliquando finitur, non pro magno nobis credentibus promissit longeuitatem. aut decrepitam senectutem quam omnes optant antequam ueniat. Omnes de illa cum uenerit murrurant, non pulchritudinem corporis, quam uel corporis morbus uel ipsa senectus quae optatur exterminat, uult esse alius pulcher & uult esse senex. ista duo desideria sibi inuicem concordare non possunt; si senex eris, pulcher non eris; quando senectus uenerit, pulchritudo fugiet, & in uno habitare non possunt. iugor pulchritudinis, & gemitus senectutis; omnia ergo ista non nobis promissit. quid dixit, qui credit in me, ueniat & bibat, & flumina de uentre eius fluent aquae uiae; ^{s. ad.} uitam aeternam promissit. ubi nihil timeam, ubi non conturbemur, unde non migremus, ubi non moriamur, ubi nec decessor plangatur, nec successor speretur; quia ergo tale est quod nobis promissit, amantibus & sps sc̄i caritate feruentibus, ideo ipsum spm noluit dare nisi cum esset & glorificatus, ut in suo corpore ostenderet uitam quam modo non habemus, sed in resurrectione speramus. **EXPLICIT SERMO XXXII. INCIPIT SERMO XXXIII. AB EO LOCO UBI IIT. EX ILLA ERGO TURBA CUM AUDISSENT HOS SERMONES EIUS USQ. AD IO. NEC ECOTE CONDEMNABO UADE ET AMPLIUS IAM NOLI PECCARE.**

Meminit caritas uestra sermone pristino ex occasione lectionis euangelicae. loquutos nos esse uobis de sp̄u sc̄o, ad hunc potandum cum dñs in uita esset & credentes in se. loquens inter eos qui illum tenere cogitabant, & interficere cupiebant, nec ualebant, quia ille nolebat. cum ergo haec loquutus esset, nata est de illo in turba dissensio, alius putantibus quod ipse esset xps, alius dicentibus quia de galilea non exurgat xps, qui uero missi fuerant ut eum tenerent, redierunt in munes acrimine, & pleni admiratione; nam est testimonium perhibuerunt diuinae doctrinae eius, cum dicerent a quibus missi fuerant, quare non adduxistis eum. responderunt enim, numquam se audisse hominem sic loquitum, non enim quisquam sic loquitur homo. ille autem sic loquutus est, quia dñs erat & homo. Tamen pharisaei testimonium eorum repellentes, dixerunt eis; numquid & uos seducti estis? uidemus enim delectatos uos esse sermonibus illius; numquid aliquis de principibus credidit in eum aut ex pharisaeis. sed turba haec quae non nouit legem, maledicta sunt; qui non nouerant legem, ipsi credebant in eum qui miserat legem, & eum qui miserat legem contemnebant illi qui docebant legem. ut impletur quod dixerat ipse dñs, ego ueni ut si uidentes uideant, & uidentes caecifiant; Caeci enim facti sunt pharisaei doctores, in luminati sunt populi nescientes legem, & in auctorem legis credentes, nichodemus tamen unus ex pharisaeis qui ad dñm nocte uenerat, & ipse non

quidem incredulus sed timidus. nam ideo nocte uenerat ad lucem, quia in lu-
 minari uolebat & sciri timebat. Respondit iudaeis. Numquid lex nra iudicat
 hominem. nisi audierit ab ipso prius, & cognouerit quid faciat. uolebant enim
 illi peruerse ante esse damnatores, quam cognitores; sciebat enim nichodemus
 uel potius credebat, quia si tantum modo eum uellent patienter audire, forte
 similes fierent illis qui missi sunt tenere, & maluerunt credere; Illi responderunt
 ex prae iudicio cordis sui, quod & illis; Numquid & tu galileus es, id est quasi a ga-
 lileo seductus; Dñs enim galileus dicebatur, qm̄ de nazareth ciuitate erant
 parentes eius; secundum mariam dixi parentes, non secundum uirile semen;
 non enim qualesiuit in terra nisi matrem, qui uim habebat de super patrem;
 nam utraq. eius natiuitas mirabilis fuit. diuina sine matre, humana sine patre;
 quid ergo illi quasi legis doctores ad nichodemum dixerunt. Scrutate scripturas,
 & uide quia propheta galilea non surgat, sed dñs prophetarum inde surrexit;
 Reuersi sunt inquit euangelista. unus quisq. in domum suam; Inde ibi perrexit
 in montem, montem autem oliuæ. in montem fructuosum, id est in montem unguen-
 ti, in montem chrisimatis, ubi enim decebat docere xpm̄, nisi in monte oliuæ. xpi
 enim nomen a chrisimate dictum est. Chrisma autem graece, latine unctio nuncu-
 patur. Ideo autem nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit, & diluculo
 iterum uenit in templum. & omnis populus uenit ad eum, & sedens docebat eos;
 & non tenebatur, quia nondum pati dignabatur; Nunc iam attendite, ubi ab ini-
 micis temptata sit dñi mansuetudo; Adducunt autem illi scribae & pharisaei mu-
 lierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio & dixerunt ei;
 magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio. in lege autem moyses
 mandauit nobis huiusmodi lapidare; tu ergo quid dicis? haec autem dicebant
 temptantes eum, ut possint accusare eum, unde accusare, numquid ipsum in ali-
 quo facinorose deprehenderant, aut illa mulier ad eum aliquo modo pertinuisset
 dicebatur. quid est ergo temptantes eum ut possent accūsare eum. Intellegimus
 fr̄s. admirabilem mansuetudinem in dño. preminuisse, anim aduerterunt
 eum nimium esse in eum, nimium esse mansuetum; De illo quippe fuerat ante
 praedictum; Accinge gladium tuum circa femur potentissime, specie tua &
 pulchritudine tua intende prospere procede & regna; propter ueritatem &
 mansuetudinem & iustitiam; ergo attulit ueritatem ut doctor, mansuetudi-
 nem ut liberator, iustitiam ut cognitor; propter haec eum esse regnaturum in
 spū scō propheta praedixerat, cum loqueretur, ueritas agnoscebatur, cum aduer-
 sus inimicos non moueretur, mansuetudo laudabatur. Cum ergo de duobus istis,
 id est de ueritate, & mansuetudine eius inimici uiose & inuidia torquerentur,
 intertio id est iustitia scandalum posuerunt; quare. quia lex iusserat adulteros

Lapidari. & utiq. lex quod iniustum erat iubere non poterat. si quis aliud dice-
 re & quam lex iusserat iniustus deprehenderetur; Dixerunt ergo apud se ip-
 sos; uerax putatur. mansuetus uidetur. de iustitia illi quaerenda calumnia
 est; Offeramus ei mulierem in adulterio deprehensam. dicamus quidde-
 illa in lege praeceptum sit; si eam iusserit lapidari. mansuetudinem non habe-
 bit. si eam dimitti censuerit. iustitiam non tenebit; ut autem mansuetudine
 inquit non perdat inquam iam populis amabilis factus est. sine dubio eam
 dimitti debere dicitur; hinc nos inuenimus accusandi occasionem. &
 reum facimus tamquam legis praeuicatore. dicentes ei. hostis es legis.
 contra moysen respondit. immo contra eum qui per moysen legem dedit.
 reus es mortis. cum illa & tu ipse lapidandus; possit his uerbis atq. his sententis
 inflammari inuidia. feruere accusatio. flagitari damnatio; sed cui hoc per-
 uersitas rectitudini. falsitas ueritati. corruptum cor cordi recto. stultitia sapi-
 entiae. Et quando illi laqueos praepararent. in quos non prius ipsi caput inice-
 rent. ecce dñs in respondendo & iustitiam seruaturus est. & a mansuetudine
 non recessurus; non est captus cui tendebatur. & potius capti sunt qui tende-
 bant. quia in eum qui eos possit de laqueis eruere non credebant; Quid ergo
 respondit dñs ihs. quid respondit ueritas. quid respondit sapientia. quid
 respondit ipsa cui calumnia parabatur iustitia. Non dixit. non lapidetur.
 ne contra legem dicere uideretur; Absit autem ut diceret lapidetur. uenit
 enim non perdere quod inuenerat. sed quaerere quod perierat; quid ergo
 respondit. uidete quam plenum sit iustitia. mansuetudine & ueritate; Qui sine
 peccato est uestrum inquit. prior in illam lapidem mittat; O responsio sapi-
 entiae. quomodo eos intro misit in se. foris enim calumniabantur. se ipsos in-
 trinsecus non perscrutabantur; Adulteram uidebant. se non praespiciebant;
 praeuicatores legis legem impleri cupiebant. & hoc calumniando. non
 uere. tamquam adulteram castitate damnando; Audistis iudaei. audistis phari-
 saei. audistis legis doctores legis custodem. sed nondum intellexistis legis lato-
 rem; quid uobis aliud significat cum digito scribit in terra. Digito enim dñi
 lex scripta est. sed propter duros in lapide scripta est; Nunc iam dñs in ter-
 ra scribebat. quia fructum quaerebat; audistis ergo. impleatur lex. lapide-
 tur adultera; sed numquid in illa puniendae lex implenda est a puniendis.
 Consideret se unus quisq. uestrum. intrat in se ipsum. ascendat tribunal me-
 tis suae. constituat se ante conscientiam suam. cogat se confiteri; scit enim qui
 sit. quia nemo scit hominum quae sunt hominis. nisi sps hominis qui in ipso
 est; unus quisq. in se intendens. peccato sem se inuenit. ita plane; ergo aut
 istam dimitte. aut simul cum illa poenam legis excipite; si dixerit non

Lapidetur adultera, iniustus conuincetur! Si diceret Lapidetur, mansuetus non uideretur; Dicat quod dicere debet & mansuetus & iustus; Quis sine peccato est uestrum prior in illam lapidem mittat; haec uox iustitiae est, puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus, impleatur lex, sed non a praevicatoribus legis. haec uox omnino iustitiae est, qua iustitia illi tamquam trabali telo percussis, se inspicientes & reos inuenientes, unus post unum omnes recesserunt, relictis sunt duo, misera, & misericordia. Dñs autem cum eos illo telo iustitiae percussisset, nec dignatus est cadentes adtendere, sed uerso ab eis obtutu, rursus digito scribebat in terra; Relicta autem sola illa mulier, omnibusq; abeuntibus, leuauit oculos suos ad mulierem; audiui uocem iustitiae, audiamus & mansuetudinis; plus enim credo territa erat illa mulier cum audisset ad dño dictum, qui sine peccato est uestrum, prior in illam lapidem mittat; illi ergo adtendentes se, & ipso abscessu confessi desere, reliquerant mulierem cum grandi peccato, ei qui erat sine peccato; & quia illa hoc audierat, qui sine peccato est prior in illam lapidē mittat! ab illo se puniendam sperabat in quo peccatum inueniri non poterat; ille autem qui aduersarios eius repulerat, lingua iustitiae, leuans in eam oculos mansuetudinis, interrogauit eam, Nemo te condemnauit, respondit illa, Dñe nemo; & ille; nec ego te condemnauo; a quo te forte damnari timuisti? quia in me peccatum non inuenisti, nec ego te damnabo; quid est dñe, faues ergo peccatis, non plane; adtende quod sequitur; uade deinceps iam noli peccare; ergo & dñs damnauit, sed peccatum, non hominem; Nam si peccatorum fautor esset, diceret; nec ego te damnabo, uade uiue ut uis! de mea ratione esto securus, ego te quantum cumq; peccaueris, ab omni poena & iā gehennae & inferni tor toribus liberabo. Non hoc dixit; Intendant ergo qui amant in dño mansuetudinem, & timeant ueritatem; & enim dulcis & rectus dñs; amat quod dulcis est, time quod rectus est; tamquam mansuetus dixit, tacuit, sed tamquam iustus, numquid semper tacebo, misericors & miserator dñs; ita plane; adhuc adde longanimitas, adde adhuc & multum misericors, sed time quod est in nouissimo, & uerax; quod enim modo sustinet peccantes, iudicaturus est contemnentes; Audiuitas longanimitatis & mansuetudinis eius contemnis, ignorans quia patientia dī ad poenitentiam te adducit, Tu autem secundum duritiam cordis tui, & cor in penitentem thesaurizas tibi iram indie irae & reuelationis iusti iudicii dī, qui reddet unicuique, secundum opera sua, mansuetus dñs, longanimitas dñs, misericors dñs, sed & iustus dñs, & uerax dñs largitur tibi spatium correctionis; sed tu plus amas dilationem, quam emendationem; Malus fuisti heri, hodie bonus esto, & hodie

num

diem in malitia per egisti, uel cras mutate; semper expectasti. & de misericordia
di tibi plurimum polliceris, quasi ille qui tibi per patientiam promisit indulgen-
tiam, promisit tibi & iam prolixiorē uitam; unde scis quid pariat crastinus di-
es. recte dicis in corde tuo, quando me correxero. dñs mihi omnia peccata dimi-
tat, negare non possumus, quod cor rectis atq. conuersis indulgentiam dñs promi-
sit; nam in quo propheta mihi legis, quia promisit cor recto indulgentiam, non
mihi legis, quia promisit tibi dñs longam uitam; ex utroq. igitur homines pericu-
tantur, & sperando, & desperando, contrarius rebus, contrarius affectionibus,
sperando decipiuntur, & desperando, quid dicit, bonus est dñs, misericors est dñs, fa-
cium quod mihi placet, quolibet laxem habenas cupiditatibus meis, impleam de-
sideria animae meae; quare hoc, quia misericors est dñs, bonus est dñs, mansuetus
dñs; spe isti periclitantur, desperatione autem, qui cum inciderint in graua pec-
cata, putantes sibi non posse iam ignosci poenitentibus, & stituentes se ad damna-
tionem sine dubio destinatos, dicunt apud se ipsos; iam damnandi sumus, quare
non quod uolumus facimus, animo gladiatorum ferro destinatorum, ideo moles-
ti sunt desperati, iam enim quod timeant non habent, & uehementer timendi sunt;
Istos desperatio necat, spes illos, inter spem & desperationem fluctuat animus,
mouendum est ne te occidat spes, & cum multum speras de misericordia, in-
cidat in iudicium. Mouendum est rursus ne te occidat desperatio, & cum putas
iam tibi non ignosci quae graua commisisti, non agas poenitentiam, & incurras
in iudicem sapientia quae dicit, & ego uestrae perditioni super ridebo; quid
ergo agit dñs cum periclitantibus utroq. morbo. Illis qui spe periclitantur,
hoc dicit; ne tardes conuertere ad dñm, neq. differas de die in diem, subito enī
ueniet ira illius, & in tempore uindictae disperdet te; Illis qui desperatione pe-
riclitantur quid dicit. In quacumq. die iniquus conuersus fuerit, omnes ini-
quitates eius obliuiscat; propter illos ergo qui desperatione periclitantur,
proposuit indulgentiae portam; propter illos qui spe periclitantur, & dilati-
onibus in luduntur, fecit diem mortis incertum; quando ueniat ultimus
dies nescis, & ingratus es, quia hodiernum habes in quo corrigaris; sic ergo ad
istam mulierem. Ne ego te damnabo, sed facta secura de praeterito caue fu-
tura, ne ego te damnabo; deleui quod commisisti, obserua quod praecipitur
inuenias quod promisi;

INCIPIT SERMO XXXIII

**DE EO QUOD DICTUM EST. EGO SUM LUX MUNDI. QUI SE-
QUITUR ME, NON AMBULAT IN TENEBRIS, SED HABEBIT**

Quod modo audiuius & intenti accepimus **LUMEN UITAE**
cum sc̄m euangelium legeretur, non dubito quod omnes homines
& iam intellegere conati sumus, & quisq. nostrum de re tam magna.